



suam albedinem: nec vlla res rubificat, nisi secundum suam rubedinem. Et ideo ad hoc fiunt opera in lapide nostro vt melioretur eius tinctura in eo plus, quam in sui natura. Et etiam vt fiat Elixir iuxta Sapientum allegoriam compositum ex speciebus limpida condimentum, antidotum, medicina & purgamentum omnium corporum purgandorum, transformandorum in lunificum & solificum verum. Hermes.

Ibi fit coniunctio duorum corporum, & est necessaria in nostro magisterio. Et si vnum istorum duorum corporum tantum non esset in nostro lapide, nunquam aliquo modo tincturam daret. Ideo dicit Philosophus, portauit eum ventus in ventre suo. Planum est ergo quod ventus est aer, & aer est vita, & vita est anima: id est, oleum & aqua. Arnoldus: Ordines inter quantitatem ignis experimentum demonstrat mediocrem. Quoniam in solutione ignis semper erit lenis, in sublimata.